FRAUS SEPTUPLEX
LIBELLI SEDITIOSI
Qui inſcribitur : *Dogma Triplex &c.*
DETECTA
Per Diſcipulos Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ,
ET
UTRIQUE POTESTATI
Eccleſiaſticæ & ſeculari
DENUNTIATA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRAUS I.

AB ipſo titulo *Fraudum* ſuarum telam nectere incipit *Libelli ſeditioſi* Auctor, dum Viros Academicos è Facultate Artium Lovanienſi, & Diſcipulos Facultatis Theologicæ Antiquæ, vocat PROTESTANTES.

Eandem telam pergit nectere in MONITO quòd præmittit his verbis: "Prodiit à diebus pauculis „Libellus ſub hoc titulo: *Statera Antonii Parmen-„tier.... Appenſa in Statera per Diſcipulos &c.* Hunc „Libellum pervolvens, ſtatim deprehendi tria in „illo Dogmata aſſeri, quæ digna mihi viſa ſunt „proponi utrique Poteſtati, Eccleſiaſticæ & Sæ-„culari, ut expendat, an hoc periculoſo tempo-„re, quo Seductionis, Schiſmatis, rebellioniſ-„que flamma quorumdam malignis ſeditioſiſque „Scriptis accenditur, permitti debeat impunè diſ-„ſeminari Libellus prædictus, qui Romano Ca-

„ tholicis, & Pontifici ac Imperatori Fidelibus „ ſubditis non omnis (triplici præſertim in Dog- „ mate) expers contagionis apparet &c. „

D E T E C T A.

Dum Libellum ſuum ſeditioſus Auctor inſcribit, *Dogma Triplex à paucis Lovanii* Protestantibus *Aſſertum*, fraudulenter inſinuat, eſſe Lovanii paucos quoſdam Protestantes, quorum *Dogmata* ſimilia ſint Dogmatibus illorum hæreticorum, qui Protestantes dicuntur in Germania. Et quamquam ſciat, nihil prorſus iſtis cum his commune eſſe; modò tamen vel nomen reddere poſſit utriſque commune apud Vulgus, non ignorat eodem paſſim loco habitum iri utroſque. Apud vulgus enim nomen eſt pro crimine.

Novit *ſeditioſus Auctor*, quàm feliciter ea *fraus* Factioni ſuæ ceſſerit in Belgio. Jam ſeptuaginta circiter anni ſunt, cum à Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. damnatæ fuerunt Propoſitiones quinque, quæ dicuntur Janſenii: Condemnationem recepit conſenſu unanimi Orbis totus Catholicus: Poſt condemnationem, nullus hæreticam Propoſitionum illarum doctrinam defendit aut tenuit. Et tamen Moliniſtarum aſtutiâ factum eſt, ut nomen *Janſeniſtæ* adhæreſceret omnibus S. Auguſtini & Facultatis Theologicæ Lovanienſis Antiquæ per Belgium Diſcipulis, qui, quantumvis profiterentur palam ſe doctrinam quinque Propoſitionum damnare; tamen ob id unum quòd nomine *Janſeniſmi* traducerentur, ab omnibus Officiis, Muniis, Dignitatibus, arcebantur, nullo juris ordine ſervato.

Fatigati tandem accuſatione tam vagâ & nomine tam inviſo Belgæ Theologi (inter quos Viri non infimi de Clero Belgico, Abbates plures, aliique

Digitized by Google

aliique per Belgium innumeri) in Septembri Anni 1692. in Urbem deputârunt Doctorem *Hennebellum*, qui coram Sede Apoſtolicâ provocatis Accuſatoribus, Nominis iſtius notam abſtergeret.

Menſe circiter pòſt in Urbem etiam deputatur *P. Deſirantius* ab Epiſcopis Belgii & Vicario Sylvæ-Ducenſi, Steyartio, cauſam illorum contra Hennebellum & Belgas Theologos acturus.

Re, poſt varias in Urbe hinc indè Diſceptationes, maturè diſcuſsâ, Innocentius XII. per Breve Apoſtolicum die 6. Februarii 1694. datum ad Epiſcopos Belgii, ſententiam pronuntiavit in hæc verba: *Fraternitatibus Veſtris, quantùm in Domino poſſumus, præſentibus noſtris mandatis injungimus, nè nullâ ratione quemquam* VAGÂ ISTA ACCUSATIONE ET INVIDIOSO NOMINE JANSENISMI *traduci aut nuncupari ſinatis, niſi prius ſuſpectum eſſe legitimè conſtiterit,* ALIQUAM EX HIS PROPOSITIONIBUS DOCUISSE AUT TENUISSE.

Addit Summus Pontifex: *Nec quemquam ſub hoc prætextu repelli ab Officiis, Muniis, Beneficiis, Gradibus, ac Concionibus habendis, vel aliâ quacumque Functione Eccleſiaſticâ permittatis, niſi ſervato Juris ordine, eam pœnam, quæ Viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit.*

Nihil hâc ſententiâ clarius, nihil æquius: Et tamen à Moliniſtis in hunc uſque diem nomine Janſeniſmi adhuc traducuntur, & ab omnibus Officiis, Muniis, Benificiis, Gradibus, arcentur *Antiquæ Facultatis Theologicæ Diſcipuli*; etſi nullum eorum umquam *ſuſpectum eſſe* LEGITIMÈ *conſtiterit*, ALIQUAM EX HIS PROPOSITIONIBUS DOCUISSE AUT TENUISSE.

Succeſſu tam proſpero *fraudis* ſuæ in fingendo *Janſeniſtæ* nomine læti Moliniſtæ, eâdem fraude *Diſcipulis Antiquæ Facultatis Lovanienſis* affricabunt

Digitized by Google

bunt nomen PROTESTANTIUM; certi fore, ut ſi hoc obtineat apud vulgus, non minùs valiturum ſit, quàm nomen *Janſeniſtæ*, ut per illud, quos volent, ab omnibus Officiis, Muniis, Beneficiis, Gradibus excludant. Pari fraude efficere ſolent, ut qui illis non conſentiunt, eorumque Scripta, traducantur nomine *inobedientiæ*, *rebellionis*, *Schiſmatis*. *ſeductionis*, *ſeditionis &c.* Quod gnaviter præſtat in ſuo MONITO, ac deinceps per Libellum, *Auctor ſeditioſus*: dum ipſe contrà, aliique ipſius Socii, non ſolùm poſſent *nominibus* iſtis jure traduci; ſed & de criminibus, quæ nominibus iſtis ſignificantur, convinci.

Inobedientes non ſunt *Antiquæ Facultatis Theologicæ Diſcipuli*, qui omnem, quam Summo Pontifici & Excellentiſſimo Archi-Epiſcopo debent, obedientiam palam coram Facultate Artium profeſſi, exiſtimârunt ſe nihil contra illam commiſſuros declarando, quòd circa acceptationem Conſtitutionis, *Unigenitus*, judicium ſuſpenderent: Tum quòd eam acceptare vetaret obedientia debita Sacræ Suæ Cæſareæ Majeſtati, ſine cujus placito Conſtitutiones Pontificias in Belgio acceptare non licet: Tum quòd eam nondum acceptaret Eccleſia Univerſa: Hujus autem judicio ſe abſque hęſitatione obtemperaturos, dum controverſiam iſtam deciderit.

Non ſunt *rebelles* aut *Schiſmatici*, qui Judicio Eccleſiæ abſque hæſitatione ullâ obtemperare parati, non audent tanquam Regulam fidei acceptare Conſtitutionem, de qua controverſia eſt in Eccleſia, an Regulæ fidei non adverſetur.

Non ſunt *ſeditioſi*, qui ſiluêre, donec à Decano Facultatis Artium juſſi loqui, veritatem profeſſi ſunt, ne eam negare viderentur; & non niſi per *Stateram Antonii Parmentier* priùs laceſsîti ſcripsêre,

Digitized by Google

ſcripsêre, ut ſuam adversùs calumnias innocentiam defenderent. Tu verò, & Tui, *ſeditionis* rei eſtis, qui injuſtis nominibus traducendo innocentes, Vulgi adversùs illos invidiam & clamorem excitatis, ipſoſque ad calumnias veſtras Scriptis refutandum compellitis. Ut meritò dicamus Tibi, quod Elias olim Regi Achab, *Non ego turbavi Iſraël, ſed tu, & domus Patris tui* &c. 3. Reg. c. 18.

DENUNTIATA.

Itaque Poteſtati Eccleſiaſticæ & Sæculari denuntiamus hanc primam tuam tuorumque *Fraudem*, qui jam ab annis pluſquam ſeptuaginta Eccleſiam & Rempublicam deluditis ac turbatis, comminiſcendo & innocentibus imponendo invidioſa nomina *Baianiſmi*, *Janſeniſmi*, *Rigoriſmi*, *Novitatis*, *Quênelliſmi*; ac deindè eos ob ſolum nomen traducendo ut Schiſmaticos, Hæreticos, inobedientes ac rebelles Eccleſiæ, Pontifici, Archi-Epiſcopo &c. Eoſdemque, non ob aliud rurſus crimen quam *Nominis*, arcendo, quantum in Vobis eſt, ab omnibus Officiis, Muniis, Beneficiis, Dignitatibus, in Eccleſia, in Republica, in Academia, quas, cum Detrimento publico numquam reſtaurando, Viris quibuſque Optimis, ac Ingenio Doctrinaque præſtantiſſimis ſpoliatis. Decernat utraque Poteſtas, an adversùs Vos inſtaurandæ non ſint Leges Eccleſiaſticæ & Civiles latæ olim adversùs Calumniatores, & Executioni mandandæ.

FRAUS II.

E*Xpendendum* proponit *ſeditioſus Auctor* pag. 6. & 7. " An Princeps, aut ejus Concilium, ,, examinare debeat, an, ortâ in foro Civili inter

,, Partes

Digitized by Google

„ Partes lite, ſententia à ſe legitimè lata turba-
„ tura non ſit pacem & tranquillitatem publi-
„ cam, ſi publicetur? Et an abſtinere poſſit &
„ debeat ab ea publicanda, ſi judicent Partem,
„ quæ legitimè damnatur, turbas excitaturam?

Indè progreſſus à litibus civilibus ad DOGMATICAS, *expendendum* proponit pag. 7. & 8. "An
„ Princeps, aut ejus Concilium, examinare de-
„ beat, an Conſtitutio aliqua, quantumvis *Dog-*
„ *matica*, & ut talis â ſe recognita, turbatura
„ non ſit pacem & tranquillitatem publicam, ſi
„ tanquam lex publicetur? Et an publicationem
„ Conſtitutionis ejuſmodi *Dogmaticæ* impedire
„ poſſit, & debeat, ſi judicet Partem, quæ dam-
„ natur, turbas excitaturam?

„ Utrobique autem inſinuat, neque in Civili-
„ bus, neque in Dogmaticis examinare debere
„ Principem aut Concilium, an ſententia legiti-
„ mè lata pacem & tranquillitatem publicam tur-
„ batura non ſit, ſi publicetur: neque poſſe aut
„ debere ab ea publicanda abſtinere, vel impe-
„ dire publicationem, ſi judicet Partem, quæ
„ damnatur, turbas excitaturam: Cùm Partis
„ damnatæ injuſtus & turbulentus clamor prævi-
„ ſus, neque viam adminiſtrandæ Juſtitiæ, neque
„ viam conſervandi Dogmata, quam Chriſtus a-
„ peruit, occludere poſſit aut debeat. „

DETECTA.

Hìc in ipſa Sacrę Cęſareę Majeſtatis Jura invadit *Scriptor ſeditioſus*, ſignificans non magis poſſe vel debere Principem aut Concilium impedire publicationem Conſtitutionis *Dogmaticæ*, etſi pacem & tranquillitatem publicam turbatura ſit, ſi publicetur; quàm abſtinere poſſit vel debeat à publicanda ſententia lata in foro Civili inter pri-

va-

Digitized by Google

vatos, ſi pax turbanda ſit à Parte damnata.

Fraudulenter hoc ipſi Principi perſuadere nititur, inſtitutâ comparatione inter ſententiam latam in foro Civili a Principe aut ejus Concilio & Conſtitutionem *Dogmaticam* latam à Summo Pontifice. Sed quàm immenſum eſt inter utrumque diſcrimen; tam enormis eſt *fraus*, quâ ipſi Cæſari ſubrepere, ſuaque ei Jura eripere tentat Seditioſus Comparator.

Sententia lata in Foro Civili, ad unum aut paucos privatos pertinet : Conſtitutio *Dogmatica*, edita à Summo Pontifice, ad Eccleſiam Univerſam.

In illa agitur de re aliquâ temporali, quæ quorumdam privatorum eſt : In hac de Veritate & Fide Catholicâ, quæ eſt omnium.

Illam publicare debet Princeps, quia Officium Principis eſt, adminiſtrare ſubditis juſtitiam; juſtitiæ autem pars eſt publicare latam in Foro Civili ſententiam : Proindè ab ea publicanda abſtinere illi non licet ob turbas excitandas injuſtè à Parte damnatâ, quam poteſt compeſcere : Hujus verò publicationem tenetur aliquando impedire, quia Principis Officium eſt, pacem & tranquillitatem publicam conſervare, quæ injuſtè turbari poſſet per publicationem Conſtitutionis *Dogmaticæ*. Exemplo ſit ipſa Conſtitutio *Unigenitus*.

1. Damnat hæc Conſtitutio Quênellum, tanquam *falſum Prophetàm, Magiſtrum mendacem & in deceptione illuſorem, introducentem ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis, ab antiquo mendacii parente progenitum, ejuſdem parentis exemplo ac Magiſterio edoctum &c.* Teſtes autem vitæ ipſius innumeri & fide digniſſimi, ipſaque fama publica, clamant eſſe virum à prima ætate ad extremam uſque ſenectutem morum innocentiâ & integritate conſpi-

ſpi-

ſpicuum, qui aſſiduitate Studii & Orationis, lectione ac meditatione Scripturarum indefeſsâ, ſedulâ Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Hiſtoriæ Diſciplinæque Eccleſiaſticæ inveſtigatione, doctrinam ſibi pietatemque eximiam comparavit: Intelligit Princeps, falli potuiſſe Summum Pontificem falſis teſtimoniis ac rumoribus de Quênello ad ipſum perlatis: Videt pacem & tranquillitatem publicam turbandam, ſi publicetur Conſtitutio, ſimulque Viri tam celebris (&, ut vulgus putat, innocentis) tam terribilis damnatio: Numquid meritò hìc ad pacem & tranquillitatem publicam conſervandam, impediet pro ſuo Officio Princeps, nè publicetur Conſtitutio?

2. Damnat eadem Conſtitutio *Librum*, ſeu *Conſiderationes Quênelli in Novum Teſtamentum &c.* Liber ille à pluribus Epiſcopis approbatus fuit, commendatuſque Clero & populo, tanquam imprimis utilis ad vitam ac pietatem Chriſtianam formandam: Verſatus eſt in omnium manibus per annos circitur quadraginta, lectuſque ab Epiſcopis, Paſtoribus, Sacerdotibus, Clericis, & utriuſque ſexûs fidelibus innumeris cum ædificatione & fructu ſingulari: Nulli vel ſuſpicio inciderat per tot annos, quòd in eo continerentur errores; dum nulli in eo obviæ erant niſi Veritates Catholicæ, & Chriſtianæ, quas in Eccleſia à ſuis Paſtoribus omnes didicerant: Condemnat tamen Summus Pontifex è Libro propoſitiones centum & unam, ipſumque Librum prohibet ſub pœnâ Excommunicationis ipſo facto incurrendâ; adeòque omnium manibus illum eripit: Videt Princeps graviter indè turbandam pacem & tranquillitatem publicam: ſcit etiam falli potuiſſe Summum Pontificem per æmulos Quênelli & Epiſcoporum, qui Librum Quênelli proba-

Digitized by Google

probaverant & condemnaverant: Audit præterea, Quênellum condemnatum fuiſſe inauditum, etiamſi ſupplicaſſet non ſemel ut audiretur: Numquid juſtiſſimè hìc Princeps eo jure, quo debet paci & tranquillitati publicæ invigilare, impediet nè publicetur Conſtitutio?

3. Eadem Conſtitutio damnat Propoſitiones centum & unam, *tanquam falſas, captioſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolùm, ſed etiam in Poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non hæreticis & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenii Propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur, manifeſtè innovantes*, RESPECTIVÈ: Quæ cuique Propoſitioni Cenſura applicanda ſit, non exprimit Pontifex; ſed liberum relinquit cuilibet, applicare cuique Propoſitioni Cenſuram quam volet: Indè pacem & tranquillitatem publicam in Scholis, Republica, & Eccleſia turbandam videt Princeps, dum propoſitionem, quam unus condemnabit tantùm ut *malè ſonantem*, aut *piarum aurium offenſivam*, alter condemnabit, ut *hæreſi proximam* aut *hæreticam*; & viciſſim, quam condemnabit hic ut tantùm *malè ſonantem* aut *piarum aurium offenſivam*, tanquam *hæreſi proxima* aut *hæretica* condemnabitur ab altero &c. Intelligit præterea, per Conſtitutionem iſtam turbari Galliam Univerſam, dum Epiſcopi alii illam acceptant ut Regulam Fidei, alii non tantùm illam ut Regulam Fidei non acceptant, ſed & ab ea tanquam *Regu-*

læ Fidei, hoc eſt, Sacris Litteris & SS. Patrum Traditioni, Eccleſiæque doctrinæ & diſciplinæ contrariâ ad Concilium Generale appellant: Appellantibus verò plurima Capitula Metropolitana, Cathedrália, Collegiata, plures Religioſos Ordines, Paſtores è tota Gallia innumeros, Sacerdotum & Clericorum multitudinem infinitam adhęrere: In Belgio etiam Auſtriaco, ubi à quibuſdam Conſtitutio proponi cępta eſt, eſſe Paſtores plures, & Theologos Academiæ Lovanienſis non paucos, qui profiteantur ſe Conſtitutionem acceptare non poſſe: cùm neque Summus Pontifex, qui illam condidit, certò infallibilis ſit, neque Eccleſia Univerſa, quæ infallibilis eſt, eam acceptari jubeat, aut ipſa acceptet: Everſum autem iri pacem & tranquillitatem publicam Eccleſiæ Belgicæ, ſi publicari ſinatur Conſtitutio: tunc enim per Cenſuras & Excommunicationes ab Officiis, Beneficiis, Functionibus Eccleſiaſticis, ſuſpendendos, ac iis tandem exuendos, atque ab Epiſcoporum aliorumque Fidelium communione ſeparandos, Paſtores, Sacerdotes, Clericos; idque non alia de cauſa, quàm quòd acceptare non auſint Conſtitutionem tamquam Regulam Fidei, quæ fortè Regulæ Fidei contraria eſt: adeòque meritò timeant, ne Conſtitutionem acceptando in ipſam Fidei Regulam impingant. Hìc ſaltem nec ipſe *Seditioſus Scriptor* negare poterit; quin tum propter pacem ac tranquillitatem publicam, tum propter Fidem Catholicam Eccleſiæ Belgicæ conſervandam, ſummo jure poſſit Princeps publicationem Conſtitutionis, *Unigenitus*, impedire.

4. Eadem Conſtitutio condemnat hanc Propoſitionem nonageſimam primam: *Excommunicationis injuſtæ metus numquam debet nos impedire ab im-*

Digitized by Google

implendo debito noſtro &c. Cujus condemnationem tam paci & tranquillitati publicæ infeſtam judicavit ſuprema Curia Pariſienſis; ut ne jubente quidem Rege Chriſtianiſſimo Ludovico XIV. licitum ſibi crediderit Conſtitutionem *purè & ſimpliciter*, ſed tantùm cum modificationibus & reſtrictionibus accipere & Commentariis Regiis inſcribere. Si enim condemnanda ſit iſta Propoſitio, jam *Excommunicationis injuſtæ metus aliquando debebit nos impedire ab implendo debito noſtro* obedientiæ, fidelitatis, obſequii, ſubſidii erga Cæſaream ſuam Majeſtatem, dum metum illum incutiet Summus Pontifex. Quare rursùs vel ob ſolam illam propoſitionem condemnatam, ut paci & tranquillitati Imperii, ut ſibi & Coronæ ſuæ conſulat Cęſarea ſua Majeſtas, non ſolùm poteſt, ſed & (dicere liceat) debet Conſtitutionis *Unigenitus* publicationem impedire.

DENUNTIATA.

Itaque Scriptorem *Seditioſum*, ejuſque Libellum *Dogma Triplex*, tanquam fraudulenter ſubrepentem Sacræ ſuæ Cæſareæ Majeſtati, eique tentantem Jura ſua, non ſine totius Imperii periculo, eripere, denuntiamus.

FRAUS III.

FRaudulenter ac mendaciter fingit *Seditioſus Auctor* pag. 9. " requirere Proteſtantes, ut ,, Princeps & ejus Concilium ob turbarum à Parte damnata excitandarum minas deſiſterent in ,, Cauſis Civilibus à publicanda legitima ſententia, vel in Cauſis *Dogmaticis* impedirent, ne ſententia à Judice Eccleſiaſtico publicaretur, alioquin omnia turbaturos. ,,

Eâdem paginâ eâdem fraudulentiâ fingit, " pa-
„ cem & tranquillitatem publicam turbare, &
„ Chriſti Vicario in *Dogmaticis* rebellare eos, qui
„ Conſtitutionem ipſius non acceptant. „

DETECTA.

Nullam veri ſpeciem habent iſta mendacia.

1. Ac primùm in cauſis Civilibus tantùm abeſt ut dicamus, Principem aut ejus Concilium à publicanda legitima ſententia debere deſiſtere ob minas turbarum excitandarum à Parte damnata: ut contrà aſſeramus, Officium eſſe Principis aut Concilii, ſententiam legitimam publicare; cùm Officium illius ſit adminiſtrare Juſtitiam ſubditis, ejuſque officii pars ſit, ſententiæ legitimæ publicatio. Officium autem adminiſtrandæ Juſtitiæ nequaquam omittere licet Principi aut Concilio ob minas turbarum excitandarum à Parte damnata: ſed eas debet aliâ viâ impedire vel coërcere.

2. In *Dogmaticis* verò dicimus, non quòd nos dicere ac minari fingit *Seditioſus Auctor*, " turba-
„ turos nos omnia niſi Princeps aut Concilium
„ impediat, ne ſententia à Judice Eccleſiaſtico la-
„ ta publicetur; ſed Jus & Prærogativam Prin-
„ cipis eſſe, conſervare pacem & tranquillitatem
„ publicam; & hoc jure impedire poſſe, ne pu-
„ blicetur Conſtitutio Dogmatica, quæ pacem
„ & tranquillitatem publicam turbatura ſit. „

3. Poſtremò, neque pacem & tranquillitatem publicam turbamus, neque Vicario Chriſti in *Dogmaticis* rebellamus, dum non acceptamus Conſtitutionem *Unigenitus*, ex cauſa juſtiſſima: Ne, dum in Eccleſia controverſum eſt, an Conſtitutio iſta ſit Regula Fidei, an Regulæ Fidei contraria, ne, inquam, in ipſam fortè Regulam Fidei peccemus eam acceptando.

DE-

Digitized by Google

DENUNTATA.

Tria hæc mendacia, fraudulenter nobis affiѐta, tanquam quæ pacem & tranquillitatem publicam Eccleſiæ & Reipublicæ perturbent, utrique Poteſtati denuntiamus.

FRAUS IV.

AD hanc quæſtionem: *Si Conſtitutioni* Unigenitus *accederet* Placitum, *obedirentne Proteſtantes?* Reſponderant hi: *Expectabimus judicium Eccleſiæ, & huic obediemus.*

Ex hoc reſponſo fraudulenter infert *Seditioſus Scriptor*: " Dogma igitur Proteſtantium eſt, non „ eſſe obediendum Pontifici, & Conſtitutioni *U-„ nigenitus*, licet accedente Placito (quòd acceſ-„ ſiſſe negant) Conſtitutio vim legis coactivam „ haberet in foro externo. „ pag. 10. & 11.

Deinde *expendendum* proponit: " An animo „ ſincero locuti ſint hactenùs Proteſtantes, di-„ centes ſe non acceptare Conſtitutionem *Unige-„ nitus*, quia (ut prętendebant) nondum acceſ-„ ſerat Placitum Principis? .....

2. „ An per hoc non declarent Proteſtantes „ pertinaciam ſuam, quâ obedire nollent legiti-„ mis Superioribus, licet utraque Poteſtas, Pon-„ tificia & Imperatoria, in unam conſpirarent „ ſententiam .... Quid ergo non timendum ab his „ non minùs Imperio, quàm Sacerdotio?

DETECTA.

Fraus *Seditioſi Auctoris* patebit, ſi ritè expendatur Proteſtantium reſponſum.

Quærebatur ab illis: *An obedirent, ſi Conſtitutioni*, Unigenitus, *accederet Placitum?* Ubi manifeſtè

nifeſtè erat quæſtio de *obedientia præſtanda Conſtitutioni per aſſenſum fidei internum*: Ideòque nec aliter ſe quæſtionem iſtam intelligere ſignificabant ſuo reſponſo: *Expectabimus judicium Eccleſiæ*, & HUIC OBEDIEMUS, acceptando ſcilicet Conſtitutionem ut Regulam Fidei, dum Eccleſia ſic acceptandam judicaverit, & aſſenſum fidei internum illi præſtando.

Malè ergò ſic intulit *Seditioſus Auctor*: " Dogma „ igitur Proteſtantium eſt, non eſſe obediendum „ Pontifici, & Conſtitutioni *Unigenitus* &c.„ Sed inferendum erat: " Dogma igitur Proteſtantium „ eſt, non eſſe obediendum Pontifici, & Con„ ſtitutioni, *Unigenitus*, acceptando illam ut Re„ gulam Fidei, & aſſenſum illi internum præſtan„ do; licet accedente Placito Conſtitutio vim le„ gis coactivam haberet in foro externo.„ Placitum enim accedens non facit, ut Conſtitutio fiat Regula Fidei, quæ antè non erat; neque ut præſtari debeat aſſenſus fidei, qui antè non erat prȩſtandus: cùm Princeps non judicet de Dogmatibus.

Indè etiam elucet, " quòd animo ſincero locu„ ti ſint hactenus Proteſtantes, dicentes ſe non „ acceptare Conſtitutionem *Unigenitus*, quia „ nondum acceſſerat Placitum Principis.„ Nam id veriſſimum eſt. Cenſent enim & declarârunt diſertè, Conſtitutionem Pontificis; etiam Dogmaticam, ſine Placito Principis vim legis habere non poſſe; idemque cenſent & declarant etiamnum.

" Per hoc, inquis, declarant pertinaciam ſuam, „ quâ obedire nollent legitimis Superioribus, li„ cet utraque Poteſtas, Pontificia & Imperato„ ria, in unam conſpirarent ſententiam.„

℟. Nequaquam: ſed declarant 1. Conſtitutio-

ni

ni *Unigenitus*, quamdiu ab Eccleſia non proponitur ut Regula Fidei, ſic obediendum non eſſe, ut ei præſtetur aſſenſus fidei internus. 2. Non efficiendam Regulam Fidei, etiamſi illi accederet *Placitum* Principis. 3. Efficiendum per Placitum Principis, ut fieret lex in foro externo.

Quid ergo, ſi utraque Poteſtas, Pontificia & Imperatoria in unam conſpirarent ſententiam, hoc eſt, ſi Pontificia mandaret Conſtitutionem recipi ut Regulam Fidei, & præſtari ei aſſenſum Fidei internum; Imperatoria verò mandaret eam recipi ut Legem in Foro externo?

℟. Humillimè ſupplicaremus utrique Poteſtati, & exhiberemus: Non eſſe in poteſtate cujuſquam mandare Fidelibus, ut recipiant Conſtitutionem aliquam tanquam Regulam fidei, eique prçſtent aſſenſum fidei internum, quam Regulam Fidei eſſe certò non conſtat: Neque enim in poteſtate cujuſquam eſſe, mandare Fidelibus, vel ut recipiant tanquam Regulam Fidei, quæ fortè Regula Fidei non eſt, ſed Regulæ Fidei contraria; vel ut præſtent aſſenſum fidei internum, quo in ipſam fortè Regulam Fidei peccarent, crederentque tanquam fidei, quod fidei fortè repugnat: Jam verò notorium eſſe, quòd non conſtet certò, Conſtitutionem, *Unigenitus*, eſſe Regulam Fidei, cui aſſenſus fidei internus præſtandus ſit: Notoriam quippe eſſe conteſtationem & controverſiam, quæ de Conſtitutione iſta eſt in Eccleſia, aliis eam ut Regulam Fidei recipientibus, aliis eam repudiantibus ut Regulæ Fidei contrariam, aliis etiam ab ea appellantibus: Ceterùm paratiſſimos nos eſſe obtemperare judicio Eccleſiæ Univerſæ, ad quam ſolam pertinet controverſiam iſtam decidere: Interim, dum ea nondum deciſa eſt, ſupplicare nos; Poteſtati quidem

Pon-

Digitized by Google

Pontificiæ, ut Conſtitutionem, *Unigenitus*, tanquam Regulam Fidei recipi, & aſſenſum Fidei internum ei præſtari non mandet; Imperatoriæ verò, ut eam executioni mandari in foro externo non ſinat. Omninò confidere nos, neque iſtud negatum iri ab Æquitate Summi Pontificis; neque hoc à Clementiſſimi Cęſaris Benignitate.

At quid, ſi neque Poteſtas Pontificia, neque Imperatoria audiret Supplicantes?

℞. Ita animo comparati ſumus, ut numquam reciperemus Conſtitutionem tanquam Regulam Fidei, quamdiu Regulam Fidei eſſe certò non conſtaret: Hoc enim vetat Deus, cui magis obediendum eſt quàm hominibus. Sed & ſic comparati ſumus, ut ſi propterea in nos Cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque pœnis, in foro externo ſęviretur; nihil committeremus umquam, quo poſſemus vel in Poteſtatem Eccleſiaſticam aut ſæcularem rebelles aut minùs reverentes videri; vel pacem ac tranquillitatem publicam in Eccleſia aut Republica turbare. Unum tantùm ſupplicaremus, apertam relinqui nobis viam Juſtitiæ, quæ patet etiam ſceleratiſſimis, & in legitimo Tribunali audiri. Atque ut hunc animum pro Fide Catholica, pro Poteſtate Pontificia ac Imperatoria, pro pace ac tranquillitate publica, ad extremum uſque ſpiritum Deus nobis conſervet, oramus.

Seditioſus ergo eſt *Auctor*, qui de nobis ſcribit in hęc verba: *An per hoc non declarent Proteſtantes* PERTINACIAM SUAM, QUÂ OBEDIRE NOLLENT LEGITIMIS SUPERIORIBUS *licet utraque Poteſtas, Pontificia & Imperatoria, in unam conſpiraret ſententiam, & utrumque gladium, Spiritualem & Sæcularem conjungeret ad cogendos* REBELLES, *ut obedirent Conſtitutioni, vim legis coactivam habenti in utroque foro externo, Civili & Eccleſiaſtico?* QUID

ERGO

ERGO NON TIMENDUM AB HIS, NON MINUS IMPERIO, QUÀM SACERDOTIO? *Hanc porrò* PERTINACIAM ET UTRIQUE POTESTATI INOBEDIENTIAM AC REBELLIONEM *magis declarant Dogmata ſequenti* pag. 11. Quibus verbis nos deſcribit tanquam PERTINACES, QUI OBEDIRE NOLLEMUS LEGITIMIS SUPERIORIBUS, tamquam REBELLES, tamquam A QUIBUS TIMENDUM SIT NON MINUS IMPERIO QUÀM SACERDOTIO, tamquam qui noſtram PERTINACIAM ET UTRIQUE POTESTATI INOBEDIENTIAM AC REBELLIONEM declaremus. Quid ſeditioſius?

DENUNTIATA.

Igitur Auctorem Libelli, *Dogma Triplex* &c, tamquam qui ſeditionem contra nos in Eccleſia & Republica excitet, affingendo nobis *inobedientiam*, *rebellionem*, *pertinaciam* adversùs utramque Poteſtatem, & monendo A NOBIS TIMENDUM ESSE NON MINUS IMPERIO, QUAM SACERDOTIO, utrique Poteſtati denuntiamus.

FRAUS V.

DIxerant, quos Proteſtantes vocat *Seditioſus Auctor*, Quòd Conſtitutio condemnet Propoſitiones, quarum condemnatio poſſit aliquando, ſi Pontifex juſſerit vel metum incuſſerit Excommunicationis injuſtæ, impellere Subditos, ut FIDEM & obedientiam negent Principi ac rebellent.

Ipſe verò *expendendum* proponit, " An non ſit „ Summo Pontifici, ſummoperè injurioſum, ne „ dicam impium & ſacrilegum, aſſerere, quòd „ Pontifex vi Conſtitutionis ſuæ, ſi admittatur, „ poſſit jubere, vel metu injuſtæ Excommunica-

 tionis

„ tionis incuſſo impellere Subditos ad fidem & „ obedientiam debitam negandam Principi, & „ rebellandum? Nam ſubditi omnes debent eſſe „ fideles legitimo ſuo Principi jure naturali & „ Divino, quę jura nec mutari poſſunt, nec ſol- „ vi. Ergo id aſſerere, eſt aſſerere, quòd Ponti- „ tifex vi ſuæ Conſtitutionis prętendat ſe poſſe „ mutare ac diſſolvere jus naturale ac Divinum: „ quo quid magis injurioſum Poutifici, magiſque „ impium & ſacrilegum fingi poteſt?„ In ſpeciem fraus nulla: ſed latet.

DETECTA.

Non negabit *Auctor Seditioſus*, quòd cum Bellarmino teneat, ***Papam habere ſummam temporalem poteſtatem indirectè***, ſive, ***habere in ordine ad bonum ſpirituale ſummam poteſtatem diſponendi de temporalibus rebus*** OMNIUM CHRISTIANORUM. De Romano Pont. Lib. 5. c. 6.

" Quòd poſſit mutare Regna, & uni auferre, „ atque alteri conferre, tamquam Summus Princeps ſpiritualis, ſi id neceſſarium ſit ad ani- „ marum ſalutem.„ *Ibidem.*

" Quòd in caſu, quo id animarum ſaluti neceſ- „ ſarium eſt, poſſit Pontifex aſſumere etiam tem- „ poralia Judicia, quando nimirum non eſt ullus „ qui poſſit judicare, ut cùm duo Reges ſupremi „ contendunt, vel quando qui poſſunt & debent „ judicare, non volunt ſententiam ferre. *Ibidem.*

Non negabit etiam *Seditioſus*, quin probet hanc Bellarmini rationem: " Reſpublica Eccleſiaſtica „ debet eſſe perfecta & ſibi ſufficiens in ordine „ ad ſuum finem: Tales enim ſunt omnes Reſ- „ publicæ benè inſtitutæ: Ergo debet habere om- „ nem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem „ conſequendum: Sed neceſſaria eſt ad finem

„ ſpiri-

Digitized by Google

„ ſpiritualem poteſtas utendi & diſponendi de „ temporalibus rebus, quia alioqui poſſent mali „ Principes impunè fovere hæreticos & evertere „ Religionem: Igitur & hanc poteſtatem habet." Cap. 7. *ibidem*.

Non improbabit etiam quod ſequitur: "Poterit deponere Principes, atque alios inſtituere, „ quando aliter non poteſt bonum ſuum ſpirituale tueri, & hoc modo intelligenda ſunt verba „ S. Bernardi lib. 4. de Conſid. & Bonifacii VIII. „ in Extravaganti, *Unam Sanctam*. „ *Ibidem*.

Cum eodem Bellarmino laudabit " exemplum „ Gregorii II. qui Leoni Imperatori Iconomacho à ſe excommunicato prohibuit vectigalia „ ſolvi ab Italis, & proindè mulctavit eum parte „ Imperii. „ Cap. 8. *Ibidem*.

Dicet cum eodem, " quòd Imperatores, qui „ fuerunt à tempore Caroli Magni, Pontifici debeant ſuum Imperium. Quòd enim hæc poteſtas nunc ſit apud Germanos, à Pontifice eſt: „ Et licet abſolutè non eſſet neceſſarium, ut Papa „ confirmaret Imperatorem, nec ut Imperator „ Pontifici juramentum fidelitatis præſtaret: tamen à tempore tranſlati Imperii in Germanos, „ utrumque requiritur&c. „ *Ibidem*.

Probabit " exemplum Innocentii III. qui ſimiliter depoſuit Othonem IV. Innocentii IV. qui „ depoſuit Fredericum II. Et Clementis VI. qui „ depoſuit Ludovicum IV. Imperatorem. „ *Ibidem*.

Patet hinc *fraus Seditioſi Scriptoris:* Dicit Summo Pontifici ſummoperè injurioſum, imò impium & ſacrilegum, aſſerere, quòd Pontifex poſſit impellere Subditos ad fidem & obedientiam negandam Principi, & rebellandum, hoc enim nihil aliud eſſe, quàm aſſerere, quòd Pontifex

prætendat ſe poſſe mutare ac diſſolvere jus naturale & Divinum: Et tamen dicit cum Bellarmino, " Quòd Pontifex poſſit mutare Regna, & uni „ auferre, atque alteri conferre, ſi id neceſſa„ rium ſit ad animarum ſalutem: Quòd poſſit ſi„ bi aſſumere etiam temporalia judicia, ut cùm „ duo Reges ſupremi contendunt: Quòd poſſit „ deponere Principes, atque alios inſtituere &c."

Quid verò hoc aliud eſt, quàm dicere, *quòd poſſit impellere Subditos ad fidem & obedientiam negandam Principi, & rebellandum?*

At, dicet *Seditioſus*, priùs deponet Principem: Principi autem depoſito nulla ampliùs fides aut obedientia debetur: atque ita non mutabit aut diſſolvet jus naturale & Divinum, quo Subditi omnes debent eſſe fidedes legitimo ſuo Principi: Nam ut Princeps à Pontifice depoſitus jam deſiit eſſe Princeps legitimus; ita & Subditi deſierunt jam eſſe Subditi.

Fraus inſignis! Non prętendit Pontifex, quòd poſſit impellere Subditos ad fidem & obedientiam negandam Principi & rebellandum, quamdiu Princeps manet Princeps legitimus, & Subditi manent Subditi; quia Pontifex non prætendit quòd poſſit mutare aut diſſolvere jus naturale & Divinum, quo Subditi omnes debent eſſe fideles legitimo ſuo Principi: Sed tantùm prætendit, quòd poſſit Principem legitimum deponere, eumque deponendo efficere, ut non ampliùs ſit Princeps legitimus, nec Subditi ſint ampliùs Subditi; hoc autem ubi effecerit, *poteſt impellere Subditos* (utpotè jam non ampliùs Subditos) *ad fidem & obedientiam negandam Principi* (non ampliùs ſcilicet legitimo) *& rebellandum.*

Atque hoc caſu veriſſimum erit, quòd dicunt *Proteſtantes*, quos vocas, Conſtitutione *Unigenitus* con-

condemnari propoſitiones, *quarum condemnatio poſſit aliquando, ſi Pontifex juſſerit vel metum incuſſerit Excommunicationis injuſtæ, impellere Subditos,* UT FIDEM ET OBEDIENTIAM NEGENT PRINCIPI AC REBELLENT. Condemnatur enim hæc propoſitio nonageſima prima: *Excommunicationis injuſtæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro:* Quæ ſi condemnanda ſit, ſequitur hæc contradictoria: *Excommunicationis injuſtæ metus* NON *numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro:* Debet ergo nos impedire aliquando: Si aliquando; tunc certè vel maximè, cùm Pontifex depoſuerit Principem, & *Excommunicationis injuſtæ metu* compulerit Subditos, UT FIDEM ET OBEDIENTIAM NEGENT PRINCIPI AC REBELLENT.

Ac pari ratione etiam tunc, cùm Pontifex quidem non depoſuerit Principem; ſed exemplo Gregorii II. prohibuerit vectigalia ſolvi Principi à ſe Excommunicato &c.

Fruſtra verò dicit *Seditioſus*, " condemnari meruiſſe iſtam propoſitionem, quia generaliter, & ſine neceſſaria diſtinctione ſic fuit propoſita. *Excommunicationis injuſtæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro:* Diſtinguendam fuiſſe Excommunicationem, quæ omnium Doctorum communi judicio & evidenti ratione probatur eſſe injuſta, ab illa, quam ſoli illi injuſtam eſſe ſibi imaginantur qui excommunicati ſunt: Item diſtinguendum fuiſſe debitum certum ab incerto, verùm ab imaginario, indiſpenſabile à diſpenſabili: " Nec umquam condemnandam fuiſſe propoſitionem, ſi ſic diſtincta fuiſſet: *Metus Excommunicationis* CERTÒ *injuſtæ* NON *debet nos impedire ab implendo debito* CERTO ET INDISPENSABILI, FUNDATO

IN

Digitized by Google

IN JURE NATURALI ET DIVINO; QUALE EST DEBITUM FIDELITATIS QUO SUBDITI LEGITIMO PRINCIPI OBLIGANTUR: Fruſtrà, inquam, hæc dicit *Seditioſus*: Quia propoſitionem iſtam *purè & ſimpliciter*, non verò cum iſtis diſtinctionibus condemnat Pontifex, *mandatque omnibus utriuſque ſexûs Chriſti Fidelibus, ne de dictu Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare, aliter præſumant, quàm in eadem Conſtitutione continetur*: Diſtinctiones autem iſtæ non tantùm non continentur in *Conſtitutione*; ſed & apertè Conſtitutioni repugnant. Loquitur Propoſitio de *Excommunicatione injuſta*. Non eſt autem *Excommunicatio injuſta*, *quam ſoli illi injuſtam eſſe ſibi imaginantur, qui excommunicati ſunt*. Loquitur de *debito*: Non eſt autem *debitum*, quod eſt *debitum incertum, imaginarium, diſpenſabile*. Prorsùs ut hìc in ipſam Conſtitutionem, mentemque Pontificis in ea expreſſam manifeſtè impingat *Seditioſus*, cujus nunc *Fraus* denuntianda eſt.

DENUNTIATA.

Ut Placitum Conſtitutioni *Unigenitus* non neget Princeps, ſinatque eam promulgari, fraudulenter obrepere tentat ac perſuadere Principi *Seditioſus*, nihil illi timendum à condemnatione hujus propoſitionis: *Excommunicationis injuſtæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro*: ſed cum fraudulentiâ detectâ pateat, ex propoſitionis iſtius condemnatione timendum eſſe, nè ſubditi aliquando *fidem ac obedientiam negent Principi ac rebellent*, Utrique Poteſtati Quintam hanc *Fraudem* denuntiamus.

FRAUS VI.

Fraudulenter *Seditioſus* invidiam iſtius propo-

ſitionis

ſitionis torquere nititur in Quênelli Diſcipulos:
"Quam perniciosam praxim, inquit, inducere
„poſſit hæc propoſitio, ſatis apparet ab even-
„tu, quo Qnênelli Diſcipuli in Hollandia & Gal-
„lia contemnunt reipsâ Excommunicationes la-
„tas & ferendas, quas ipſi ſoli, qui iis reipsâ
„innodantur, ſibi imaginantur eſſe injuſtas.....
„Et hæc, vera, & juſta cauſa eſt, cur præ-
„dictam propoſitionem Pontifex damnaverit....
„Ex hac re ſic elucidata patet, quàm ſint inju-
„rioſi Summo Pontifici pauci Lovanii Proteſtan-
„tes..... Artibus tam malignis, tamque indignis
„ſperant ſe poſſe excitare diſcordiam inter Sa-
„cerdotium & Imperium, ut ſi hę Poteſtates,
„fraude ipſorum, inter ſe committantur, illic
„damnatæ ſuæ & Quênelli doctrinæ aſylum in-
„veniant, undè meritò pertinaciæ & meditati
„Schiſmatis pœnam expectare debuiſſent.„ pag.
14. & 15.

DETECTA

1. Mendaciter dicit *Seditioſus* "quòd Quênelli
„Diſcipuli in Hollandia & Gallia contemnant
„reipsâ Excommunicationes latas & ferendas,
„quas IPSI SOLI, qui iis reipsâ innodantur, ſibi
„imaginantur eſſe injuſtas.„

Non enim illas contemnunt, ſed invalidas ac irritas eſſe non dubitant, iis rationibus, quas non IPSI SOLI, ſed innumeri per Eccleſiam Theologi, Canoniſtæ, & Viri Utriuſque Juris periti ſolidiſſimas eſſe, conſtanter aſſeverant.

2. Temerariè aſſerit, "quòd hæc, vera, &
„juſta cauſa ſit, cur prædictam propoſitionem
„Pontifex damnaverit.„

Undè, quæſo, hoc didicit: cùm neque in Conſtitutione, neque in ipsâ propoſitione, id ſignificet Pontifex; ſed ſignificet contrarium?

3. *Seditioſè* calmat, "quòd pauci Lovanii „Proteſtantes Artibus tam malignis, tamque in„dignis ſperent ſe poſſe excitare diſcordiam in„ter Sacerdotium & Imperium, ut aſylum in„veniant.„

Nullis artibus, nedum malignis aut indignis, utuntur Lovanii, quos vocat, *Proteſtantes*, nec ſperant ſe poſſe Sacerdotium inter & Imperium diſcordiam excitare: ſed ſincerè & candidè exhibent Poteſtati ſæculari, quæ mala conſequi poſſint aliquando ex Conſtitutione *Unigenitus* acceptatâ; non ea ſpe, ut ipſi aſylum inveniant; ſed ut mala iſta ab Eccleſia ac Republica avertant.

4. Tandem *pertinaciæ & meditati Schiſmatis pœnam* nos mereri clamat: dum neque nos *pertinaces* eſſe, neque *Schiſma meditari* uſquam probat; ſed abſque probatione ulla fraudulenter ſupponit. Non ignorat hâc fraude imponendum vulgo ignaro & credulo, calumniandumque eò fortiùs, quò magis rationibus deſtituitur: ſemper enim ex calumniis adhæreſcere aliquid.

DENUNTIATA.

Hanc igitur *Fraudem*, qua ſine probatione ſupponit & clamat *Seditioſus*, quòd *malignis & indignis artibus ſperemus nos poſſe excitare diſcordiam inter Sacerdotium & Imperium*, quòd *pertinaces* ſimus, quòd *Schiſma meditemur*, Utrique Poteſtati denuntiamus.

FRAUS VII.

F*Raus* ſeptima tam infanda eſt, ut ipſum *Seditioſum* illius pudere videatur, ideoque eam ſub conditione aliqua abſcondit: "Secundus, inquit, „ſenſus prędicti tertii Dogmatis Proteſtantium

eſſe

Digitized by Google

„ eſſe poſſet, nonnullos adeò obfirmatæ eſſe pertinaciæ, *ut potius fidem & obedientiam negent* „ *Principi, ac rebellent*, quàm Conſtitutionem *Unigenitus* admittant .... Hunc ſenſum (quoniam „ obſcurè loquuntur) SI INTENDANT, *expendendum proponitur.*

1. „ An per has injuſtas & turbulentas minas „ non conentur movere Principem, ut negato „ *Placito* impediat publicationem Conſtitutionis, „ ſeu potiùs, jam factam revocet? Sic enim nullum eſſe ſignificant periclum Rebellionis in „ Cæſarem.

„ Si verò *Placitum* concedatur, vident nullum „ habere ſe ad poteſtatem aliquam ſæcularem recurrendi prętextum, adeòque per Cenſuras Ecclesiaſticas ſimul & brachium ſæculare cogi „ poſſe. Ne ergo cogi poſſint, terrorem Principi „ conantur incutere, ſignificantes periculum hinc „ rebellionis in Cęſarem. „ pag. 15. & 16.

„ Eò venerunt impietatis & audaciæ (ſocii „ paucorum hodiè Lovanii Proteſtantium) ut in „ *Elegia* ſpurciſſima impreſſerint hoc Carnificis „ manu dignum Chronicon, SEDET PONTIFEX „ SCHISMATICUS. &c. pag. 17. 18. & 19.

DETECTA

Senſus ſecundus Dogmatis tertii, quem *Proteſtantium* non eſſe, ſed eſſe *poſſe* trepidè ait *Seditioſus*, tam eſt ab ipſis alienus, ut nec ipſe auſit eum illis affingere; ſed tantùm dicat ſub conditione: *Hunc ſenſum* SI INTENDANT. Quo ſuam ipſe *Fraudem* ſatis detegit & fatetur. Quis enim non videat fraudem latêre in Accuſatione conditionatâ, quâ accuſatur quis ut reus, ſi reus ſit?

D Pari

Digitized by Google

Pari fraude accuſare licebit quemvis Catholicum de hæreſi quacumque. Dicat quis Catholicus, *Eſt unus Deus*, dicam ego illum Sabellianum, *ſi ſenſum Sabellii intendat:* dicat, *Chriſtus eſt Filius Dei*, dicam illum Arianum, *ſi ſenſum Arii intendat:* dicat *Chriſtus eſt in Euchariſtia*, dicam illum Lutheranum, Calvinianum, Swinglianum, *ſi ſenſum Lutheri, Calvini, Swinglii intendat* &c. Neque enim majorem veri ſpeciem habet ſenſus iſte conditionatus, quem fingit *Scriptor Seditioſus*; quàm habeant ſenſus iſti conditionati hæretici, quos affingerem illi Catholico.

Quemadmodum verò injuſtiſſimè *expendendum* proponerem, An à Catholico iſto, tanquam ab hæretico Sabelliano, Ariano, Lutherano, Calviniano, periculum non immineat rebellionis in Eccleſiam: ita *Seditioſus Auctor* per ſummam injuriam proponit *expendendum*, An à *Proteſtantibus* non immineat periculum rebellionis in Cæſarem? Non enim hujus magis in Proteſtantibus, quàm illius in Catholico iſto periculum eſt.

At *Fraudem* ſuam proſequitur *Seditioſus*, & jam non ampliùs conditionatè, ſed abſolutè, in Proteſtantes ſcribit tanquam in Novatores, qui primò Pontifici, deindè Principi rebellent, ex *Carolo Magno, Ludovico Pio, Carolo Calvo*; potuiſſetque volumina integra, ſi voluiſſet, in eos deſcribere, negotio longè faciliori, quàm potuiſſet ſenſum iſtum conditionatum ex illorum Dogmate exſculpere. Hoc tamen præſtare debebat priùs, quàm in ipſos tanquam Novatores ac Rebelles declamaret.

Alia deindè *Fraude* utitur *Seditioſus*, dum Scripta Invidioſa, quę tribuere non audet Proteſtantibus, tribuit Proteſtantium ſociis, quos dicit, re-